

D E L E G I B V S .

tur, qui falli nequeant, quid iis facies, qui, ut est uulgi improbitas, malunt legibus, quā uel sanctissimis Magistratibus credere? Est enim quorūdam tanta rabies, tantaque pertinacia, ut æquitate fideque iudicum satis fieri sibi non patiantur, sed cum summo iure cōtendant, extremaque omnia experiantur, sæpe infensus cum iudicibus, quā cum aduersario concertent. Hic uero Magistratum auctoritas periclitabitur, nisi publice receptæ leges defendant. Adeo non modo aduersus tyrannidem, in legibus innocentiae præsidium est, sed & Magistratibus aduersus uulgi importunitatem, hic tanquam aheneus quidam murus est: denique commune uinculū inter se principum ac multitudinis, est ius scriptū ad pacem tuendam comparatum. Iam & improbi ciues facilius in fortunas aliorum impetum facient, cum uel nullæ poenæ certæ absterrebunt, uel ius erit incertum. Contra, ut ii qui iter faciunt, cum uiam indicant Mercuriales statuæ, nihil metuunt necubi errent. Ita boni ciues, cum certum ius propositum est, securi degunt, cum docent leges, & quid pro se quisque præstare debeat, & quid cuiusque sit proprium, & improbis certum exitium minantur. Cum autem libertas nihil nisi inane uocabulū sit, si bonis